

di se habet in materia aliqua determinata; vel etiam aliquando est substantia; sic in homine animâ rationalis forma substantialis hominis appellari potest: hæc autem ita clara sunt, ut a nemine in dubium vocari possint.

IV. *Causa efficiens* in varias alias classes distingui solet, quarum præcipuas earumque discrimina brevissime explicabimus. *Efficiens causa* vel *prima* vel *secunda* esse potest. *Causa prima* vocatur illa, quæ cæteris rebus ita dat esse, ut ipsa a nullo existentiam receperit; hinc *causa prima* est solus Deus. *Causa vero secunda* dicitur illa, quæ alteri quidem dat esse, sed ipsa quoque suum esse ab alio recipit; tales sunt *causæ creatæ*. *Causa proxima & immediata* dicitur illa, a qua effectus ipse proxime producitur, ut filius a patre; *remota vero, vel mediata* est illa, inter quam & effectum ipsam intermedia quædam causa intercedit, ut inter avum & nepotem.

*Causa principalis* vocatur illa, quæ virtute sua effectum producit, ideoque ipsi tanquam principio veræque causæ effectus tribuitur, ut statua artificii. *Instrumentalis* vero dicitur illa, quæ causâ principali tanquam medium ad instrumentum inservit, ipsaque dirigente effectui producendo conferre potest, ut scalprum, serra, penicillus.

*Causa per se* vocatur illa, quæ natura sua ad effectum producendum dirigitur, ut ignis ad comburendum; *causa vero per accidens* censetur illa, quæ præter naturæ aut operantis intentionem effectum producit,